

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio: LIII: In M. Antonium Philippica XI.

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

gratam esse, & fore. utiq; Q. Capiro Brutus procos. provinciam Macedoniam, Illyricum, totamq; Graciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemq; cōseruet: eiq; exercitui, quem ipse constituit, comparauit, praesit: \* pecuniaq; ad rem militare, si qua opus sit, quae publica sit, & exigi possit, ut atur, exigat, pecuniaq; a quibus uideatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum: imperet, operamque det, ut cum suis copijs quam proxime Italiam sit. cumque litteris Q. Capiomis Bruti procos. intellectum sit, Q. Hortensij proconsulis opera, & uirtute uehementer rempub. adiutam, omniaq; eius consilia cum consilijs Q. Capiomis Bruti proconsulis coniuncta fuisse, eamq; rem magno usui reip. fuisse: Q. Hortensium procos. recte & ordine, exq; rep. f. cisse: senatuiq; placere, Q. Hortensium proconsulem cum quaestoribus proue quaestoribus, & legatus suis Macedoniam provinciam obtinere, quoad ei ex S. C. successum sit,



## IN M. ANTONIVM P. B.

## PHILIPPICA XI.

## ORATIO LIII.



AGNO in dolore sum, P. C. uel mærore potius, quem ex crudeli, & miserabili morte C. Trebonij optimi ciuis, moderatissimiq; hominis accepimus: inest tamen aliquid, quod reip. profuturum putem. perspeximus enim, quanta in ijs, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inestet immanitas. nã duo hæc capita nata sunt post homines natos



taterrima, & spurcissima, Dolabella, & Antonius: quorū alter effecit, quod optabar: de altero patefactū est, quid cogitaret. L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perseuerans: L. Sylla uehēmēs: neq; ullius horū in ulciscendo acerbitas progressa ultra mortem est: quæ tamen pœna in ciues nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminū in scelere par, inusitatum, inauditum, ferum, barbarū. Itaq; , quorū summum quondam inter ipsos odiū, bellumq; meministis, eosdē postea singulari inter se cōsensu, & amore deuinxit impurissima naturæ, & turpissima uitæ similitudo. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. sed ille, cum procul abesset a consiliis, exercitibusq; nostris, necdum senatum cum populo Rom. conspirasse sensisset, fretus Antonij copijs, ea scelera suscepit, quæ iam Romæ suscepta arbitrabatur a socio furoris sui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare censetis? aut quam omnino causam esse belli? omnes, qui libere de rep. sensimus, qui dignas nobis sententias diximus, qui populū

P. 231. Rom. liberum esse uolumus, statuit ille quidem non inimicos, sed hostes: maiora tamen in nos, quam in hostem supplicia meditatur: \*mortem naturæ pœnam putat esse, iracundiæ tormēta, atque cruciatum. qualis igitur hostis habēdus est is, a quo uictore si cruciatus absit, mors in beneficij parte numeretur? Quamobrem, P. C. quamquam hortatore non egetis: (ipsi enim uestra sponte exarsistis ad libertatis recuperandæ cupiditatem) tamen eo maiore studio libertatem defendite, quo maiora proposita uictis supplicia seruitutis uidetis. In Galliam inuasit Antonius, in Asiā Dolabella: in alienā uterq; provinciam: alteri se Brutus obiecit, impetumq; furētis, atq; omnia diuexare, & diripere cupientis, uitæ suæ periculo colligauit, progressu ar-

cui,



cuit, a reditu refranauit: obsideri se passus: ex utraq; parte constrinxit Antonium. \* alter in Asiam irrupit. cur? si ut in Syriam patebat uia certa, neque longa, quid opus fuit cum legione præmissa Marso nescio quo Octauio, scelerato latrone, atq; egente, qui popularetur agros, uexaret urbes, non ad spem constituenda rei familiaris, quam tenere eum posse negant, qui norunt (mibi enim hic senator ignotus est) sed ad presentem partum medicitatis suæ. Cōsecutus est Dolabella nulla suspitione belli. quis enim id putaret? secuta colloquutiones familiarissima cum Trebonio: complexusque summa\* beneuolentiæ falsi indices exstiterunt in amore simulato: dextera, quæ fidei testes esse solebant, sunt perfidia, & scelere uiolata nocturnus introitus Smyrnam, quasi in hostium urbem, quæ est fidelissimorum, antiquissimorumque sociorum. Oppressus Trebonius, sicut ab eo, qui aperte hostis esset, incautus: si ut ab eo, qui ciuis etiam tum speciem haberet, miser. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna uoluit, quid esset uictis extimescendum. Consularem hominem consulari imperio prouinciam Asiam obtinētem\* Samario exsuli tradidit: interficere statim captum noluit, ne nimis, credo, in uictoriali liberalis uideretur, cum uerborum contumelijs optimam uirum incesto ore lacerasset; tum uerberibus, ac tormentis questionem habuit pecuniæ publicæ, idque per biduum: post, cernicibus fractis, caput abscidit, idque adfixum gestari in sistrum pilo, reliquum corpus tractum, atque laceratum abiecit in mare. Cum hoste hoc bellandum est, a cuius terribilissima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde ciuium Romanorum? de direptione fanorum? quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? & nunc tota Asia uagatur, uolitat ut rex,

P. B.



nos alio bello distineri putat. quasi uero non unum, idemq;  
bellum sit contra hoc iugum impiorum nefarium. Imagi-  
nem Antonij crudelitatis in Dolabella cernitis: ex hoc illa  
effecta est: ab hoc Dolabella scelerum precepta sunt tra-  
dita. num leniorem, quam in Asia Dolabella fuit, in Italia,  
si liceat, fore putatis Antonium? mihi quidem & ille per-  
uenisse uidetur, quoad progredi potuerit feri hominis amē-  
tiameq; Antonius ullius supplicij adhibendi, si potestatem  
habeat, ullam est partē relicturus. Ponite igitur ante ocu-  
los, P. C. miseram quidem illā, & flebilem speciem, sed ad  
incitandos animos nostros necessariam, nocturnum impe-  
sum in urbem Asiæ clarissimam, irruptionem armatorum  
in Trebonij domum, cum ille miser prius latronum gladios  
uideret, quam, quæ res esset, audisset: furentis introiit Do-  
P. 232. labella, uocem impurā, atq; os illud infame, uincla, uerbe-  
ra, seculum, carnificem, torturemque Samarium: quæ tulisse  
illum fortiter, & patienter ferunt. Magna laus, meoq; iu-  
dicio omnium maxima. est enim sapiētis, quidquid homini  
accidere possit, id præmeditari ferendum modice esse, si  
euenerit. maioris est omnino consilij, prouidere, nequid tale  
accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre si euenerit.  
Ac Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis,  
quamquam eius numquam particeps fuerit, ut suam insa-  
tiabilem crudelitatem exercuerit non solum in uiuo, sed  
etiam in mortuo: atque in eius corpore lacerando, atq; ue-  
xando, cum amicū satiare non posset, oculos paruertit suos.  
& multo miserior Dolabella, quam ille, quem tu miserri-  
mum esse uoluisti! Dolores Trebonius pertulit magnos:  
multi ex morbi grauitate maiores: quos tamen non mise-  
ros, sed laboriosos solemus dicere. longus fuit dolor bidui:  
at compluribus hominibus annorū saepe multorū. nec uero



grauiora sunt carnificū tormenta, quam interdum crucia-  
 menta morborum. Alia sunt, alia, inquit, o perditissimi ho-  
 mines, & amentissimi, multo miseriora. Nā, quo maior uis  
 est animi, quam corporis, hoc sunt grauiora ea, quæ con-  
 cipiuntur animo, quā illa, quæ corpore. miserior igitur, qui  
 suscepit in se scelus, quam is, qui alterius facinus subire co-  
 gitur. Cruciatu est à Dolabella Trebonius: & quidē à Car-  
 thaginiensibus Regulus. Quare, cum crudelissimi Pāni iu-  
 dicati sint in hoste, quid in ciue de Dolabella iudicandum?  
 An uero hoc conferendū est? aut dubitandū, uter miserior,  
 isne, cuius mortem senatus, populusq; Romanus ulcisci cu-  
 pit, an is, qui cuncti senatus sententiis hostis est iudicatus?  
 nam ceteris quidem uitæ partibus, quis est, qui possit sine  
 Trebonij maxima contumelia conferre uitam Trebonij cū  
 Dolabella? alterius consilium, ingenium, humanitatem, in-  
 nocentiā, magnitudinē animi in patria liberāda quis igno-  
 rat? alteri à puero pro delitiis crudelitas fuit: deinde ea li-  
 bidinū turpitudine, ut in hoc sit semper ipse letatus, quod ea  
 faceret, quæ sibi obici ne ab inimico quidem possent ueve-  
 cundo. Et hic, dii immortales, aliquando fuit meus: occulta  
 enim erant uitia non inquirenti. neq; nunc fortasse alienus  
 ab eo essem, nisi ille uobis, nisi manibus patriæ, nisi huic  
 urbi, nisi diis penatibus, nisi aris, & focus omnium nostrum,  
 nisi deniq; naturæ, & humanitati inuentus esset inimicus.  
 à quo admoniti, diligentius, & uigilantius cauemus An-  
 tonium. Etenim Dolabella non ita multos secū habuit no-  
 tos, atq; insignes latrones: ac uidetis quos, & quam multos  
 habeat Antonius: primū L. fratrem, quā facem, dii immorta-  
 les! quod facinus! quod scelus! quæ gurgitem! quā uoragine!  
 quid eum non sorbere animo, quid nō haurire cogitatione,  
 cuius sanguinem non bibere censetis? in cuius possessiones,  
 atq;

P. B.



atque fortunas, non impudentissimos oculos spe, & mente  
 defigere? Quid Censorinum, qui se uerbo prætorem esse ur-  
 banum cupere dicebat, re certe noluit? quid Bestiam, qui  
 se consulatum in Bruti locum petere profutetur? atque hoc  
 quidem detestabile omen auertat Iupiter, quam absurdum  
 autem, qui prator fieri non potuerit, petere eum consula-  
 tum? nisi forte damnationem pro prætura petat. Alter Ca-  
 sar, Vopiscus ille, homo summo ingenio, summa potentia,  
 qui ex adilitate consulatum petit, soluatur legibus: quam-  
 quam leges eum non tenent, propter eximiam, credo, digni-  
 tatem. at hic, me defendente, quinque absolutus est sex-  
 P. 233. ta palma urbana etiam in gladiatore difficilis, sed hæc iudicium culpa, non mea est, ego defendi fide optima: illi de-  
 buerunt clarissimum, & præstantissimum senatorem in  
 ciuitate retinere, qui tamen nunc nihil aliud agere uide-  
 tur, nisi ut intelligamus illos iudices, quorum res iudica-  
 tas irritas fecimus, bene, & e re publica iudicauisse. Neq; hoc  
 in hoc uno est. sunt alij in eisdem castris honeste condemna-  
 ti, turpiter restituti, quod horum consilium, qui omnibus  
 bonis hostes sunt, nisi crudelissimum putatis fore? Accedit  
 Saxa nescio quis, quem nobis Caesar ex ultima Celtiberia  
 tribunum plebis dedit. castrorum antea meator, nunc, ut  
 sperat, urbis: à qua cum sit alienissimus, suo capiti, saluis  
 nobis, ominetur. Cum hoc ueteranus Caso: quo neminem  
 ueteram peius oderunt. His, quasi præter dotem, quam in-  
 ciuilibus malis acceperant, agrum Campanum est largi-  
 tus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas prædiorum:  
 quibus utinam contenti essent: ferremus: etsi tolerabile  
 non erat, sed quiduis patiendum fuit, ut hoc terribimum  
 bellum non haberemus. Quid illa castrorum M. Antonij  
 lumina, nomine ante oculos proponitis? primum diuos colle-  
 gas



gas Antoniorum, & Dolabella, Nuculam, & Lentonem, Italia diuisores lege ea, quam senatus per uim latam iudicauit, quorū alter cōmentatus est minos, alter egit tragediam. Quid dicā de Apulo Domitio? cuius bona modo proscripta uidi: aīta procuraturū est negligētia. At hic nuper sororis filio infudit uenēti, non dedit. Sed non possunt non prodige uiuere, qui nostrā bona sperant, cum effundunt sua. Vid. te etiam P. Decij auctiōnem clarissimi uiri: qui, maiorum exempla persequens, pro alieno se ere deuouit. P. B. emptor tamen in ea auctiōne inuentus est nemo. hominem ridiculum, qui se exire ere alieno putet posse, cum uendat aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam quē ulta uidentur furie debitorum? iudicem enim tabularum nouarum nouam tabulam uidimus, quid de L. Planco? quē prestā-tissimus, cuius, Aquila, Polletia expulit, & quidem crure fracto: quod utinam ante illi accidisset, ne huc redire potuisset. Lumen, & decus illius exercitus pene praterit, T. Annum Cimbrum, Lysidici filium: Lysidicum ipsum Greco uerbo, quoniam omnia iura dissoluat: nisi forte iure Germanum Cimber occidit, Cum hanc, & huius generis copiam tantam habeat Antonius, quod scelus omittet, cum Dolabella tantis se obstrinxerit paricidiis nequaquā pari latronum manu, & copia? Quapropter, ut inuitus saepe dissensi a Q. Fusio, ita sum eius sententię libenter assensus. ex quo iudicare debetis, me non cum homine solere, sed cum causa, dissidere. Itaque non assentior solum, sed etiam gratias ago Q. Fusio, dixit enim seueram, grauem, rep. dignam sententiā: iudicauit hostem Dolabellam: bona censuit publice possidenda. quo cum addi nihil posset (quid enim atrocius potuit, quid seuerius decernere?) dixit tamen, si quis eorum, qui post se rogati essent, grauiorem sententiā



tiā dixisset in eā se iturū. quam seueritatē quis potest non  
 laudare? Nunc, quoniam indicatus est hostis Dolabella,  
 bello est persequendus, neque enim quiescit: habet legionē,  
 habet fugitiuos, habet sceleratam impiorum manu: est  
 ipse confidens, impotēs gladiatorio generi mortis addictus.  
 Quamobrem, quoniam cum Dolabella hesternō die hoste  
 decreto bellum gerendum est, imperator est deligendus.  
 Duae dictae sunt sententia, quarum neutrā probō: alteram,  
 quia semper, nisi, cum est necesse, periculosam arbitror: alteram,  
 quia alienam his temporibus existimo. Nam extra  
 ordinarium imperium populare, atque uestusum est, mini-  
 me nostrae grauitatis, minime huius ordinis. Bello Antio-  
 chino magno, & graui, cum L. Scipioni prouincia Asia ob-  
 uenisset, parumque in eo putaretur esse animi, parum robo-  
 ris, senatusque ad collegam eius C. Laelium huius sapientis  
 patrem negotium deserret: surrexit P. Africanus frater  
 maior L. Scipionis, & illam ignominiam familia depreca-  
 tus est: dixitque & in fratre suo summam uirtutem esse,  
 summumque consilium, neque se ei legatum id etatis, uisusque  
 rebus gestis, defuturum. quod cum ab eo esset dictum, nihil  
 est de Scipionis prouincia commutatum, nec plus extraor-  
 dinarium imperium ad id bellum quæsitum, quam duobus  
 ante a maximis Punicis bellis, quae à consulibus, aut à di-  
 ctatoribus gesta, & cōfecta sunt: aut quam Pyrrhi, quam  
 Philippi, quam post Achaico bello, quam Punico tertio:  
 ad quod populus Rom. ita ipse sibi delegit idoneum ducem  
 P. Scipionem, ut eum tamē bellum gerere consulem uellet.  
 Cum Aristonico bellum gerendum fuit L. Valerio, P. Lici-  
 nio consulibus, rogatus est populus, quem id bellum gere-  
 re placeret: Crassus consul, pontifex max. Flacco collegae  
 flamini Martiali maliam dixit, si à sacris discessisset. quam  
 mul



multam populus Romanus remisit: pontifici tamen flaminem parere iussit. Sed ne tum quidem populus Rom. ad priuatum detulit bellum: quamquam erat Africanus, qui anno ante de Numantinis triumphauerat: qui, cum longe omnes belli gloria, & uirtute superaret, duas tantum tribus tulit. Ita populus Rom. consuli potius Crasso, quam priuato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeij imperijs, summi uiri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum a senatu priuato datum est, quia consules recusabant, cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule. Quae igitur haec comitia? aut quam ambitionem constatissimus, & grauissimus ciuis L. Caesar in senatum introduxit? Clarissimo uiro, atque innocētissimo decreuit imperium, priuato tamen: in quo maximum nobis onus imposuit. assensus ero: ambitionem induxero in curiam: nega uero: uidebor suffragio meo, tamquam comitijs, homini honorem amicissimo denegauisse. Quod si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus, modo tabella deur nobis, sicut populo data est, cur cōmittis, Caesar, ut aut praestantissimus uir, si tibi non sit assensum, repulsam tulisse uideatur: aut unusquisque nostrū praeteritus, si, cum pari dignitate simus eodem honore digni non putemur? At enim (nam id ex audio) C. Cesari adolescentulo imperium extraordinarium mea sententia dedi. Ille enim mihi praesidiū extraordinarium dederat. cum dico mihi, senatui dico, populoque Rom. a quo respub. praesidium ne cogitatum quidem tantum haberet, ut sine eo salua esse non posset, huic extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimēdus, aut imperium dandum fuit. quae est enim ratio? aut qui potest fieri, ut sine imperio teneatur exercitus? Non igitur, quod ereptū non est, id existimādum est datum, eripissetis



C. Caesari, P. C. imperiū, nisi dedissetis. milites ueterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen secuti, pro rep. arma ceperant, uolebant sibi ab illo imperari: legio Martia, & legio quarta, ita se contulerat ad auctoritatem senatus, populi que Ro. dignitatem, ut eum deposcerent imperatorē, & ducem, C. Caesarem. Imperium C. Caesari belli necessitas, fasces senatus dedit. otioso uero, & nihil agētī priuato, obsecro te, L. Caesar (cū peritissimo homine mihi res est) quādo imperiū senatus dedit? Sed de hoc quidē haftenus, ne re fragari homini amicissimo, ac de me optime merito uidear: etsi quis potest refragari non modo non petētī, nerū etiam recusanti? Illa uero, P. C. aliena cōsulū dignitate, aliena tēporum grauitate sententia est, ut consules Dolabellae persequēdi caussa Asiam, & Syriam sortiātur. Dicā, cur inutile reip. sed prius, quā turpe consulibus sit, uidete. Cum consul designatus obsideatur, cū in eo liberādo salus sit posita reipublicae, cū a populo Ro. pestiferi ciues, paricidaeq; descuerint: cūq; id bellū geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de uita decernamus; & si in potestate quis Antonij uenerit, proposita sint tormenta, atque cruciatus: cumque harum rerum omnium decertatio consulibus optimis, & fortissimis commissa, & commendata sit. Asia, & Syriae mentio fiet: ut aut suspicioni crimen, aut inuidiae materiam dedisse uideamur? At uero ita decernunt, ut, liberato Bruto; id enim restabat, ut relicto, deserto, prodito. Ego uero mentionem prouinciarum factam dico alienissimo tempore, quamuis enim intentus animus tuus sit C. Pansa, sicut est, ad fortissimum uirum, & omniū clarissimū liberandū: tamē rerū natura cogit te necessario referre animū aliquādo ad Dolabellam persequendum, & partē aliquā in Asia, & Syria deriuare curae, & cogitationis tuae. Si autem



autē fieri posset, uel plures te animos habere uellem, quos  
 omnes ad Mutinā intenderes. quod quoniā fieri non potest, P. B.  
 isthoc animo, quem habes prestantissimū, atq; optimū nihil  
 uolumus nisi de Bruto cogitare. facis tu id quidē, & eo ma-  
 xime incumbis: duas tamē res, magnas præsertim, nō mo-  
 do agere uno tempore, sed ne cogitando quidē explicare  
 quisquam potest. incitare, & inflammare istud tuum præs-  
 tantissimum studiū, non ad aliam ulla ex parte curā trās-  
 ferre debemus. Adde istuc sermones hominū, adde suspicio-  
 nes, adde inuidiam. imitare me, quem tu semper laudasti,  
 qui instructā, ornataq; a senatu provinciā deposui, ut in-  
 cendium patriæ, omīsa omni cogitatione, estinguerē. nemo  
 erit, præter unū me, qui cum profecto, si quid interesse tu a-  
 putasses, pro summa familiaritate nostra cōmunicauisses,  
 qui credat, te inuito, provinciam tibi esse decretam. Hanc,  
 quæso, pro tua singulari sapientia reprime famam: atque  
 effice ne id quod non curas, cupere uideare. Quod quidē  
 uehementius eo tibi laborandum est, quia in eādē cadere  
 suspicionem collega uir clarissimus non potest: nihil horum  
 sciri: nihil suspicatur: bellū gerit: in acie stat: de sanguine, &  
 de spiritu decertat: ante provinciam sibi decretam audiet,  
 quam potuerit tempus ei rei datum suspicari. Vereor, ne  
 exercitus quoq; nostri, qui non delectus neci sitate, sed uo-  
 luntarijs studijs se ad remp. contulerunt, tardētur animis, si  
 quidquam aliud nobis, nisi de instanti bello cogitatum pu-  
 tabunt. Quod si provinciæ consilijs expetenda uidentur,  
 sicut sepe multis clarissimis uiris expetita sunt: reddite  
 prius nobis Brutum, lumen & decus ciuitatis: qui ita cō-  
 seruandus est, ut id signum, quod de celo delapsum Vesta  
 custodijs continetur: quo saluo, salui sumus futuri, tunc in  
 celum



P. 236. calum uos, si fieri poterit, humeris nostris tollemus: provincias certe dignissimas nobis deligemus. nunc quod agitur, agamus. agitur autē, liberine uiuamus, an mortē obremus: quae certe seruituti anteponenda est. Quid si etiam affert tarditatem ista sententia ad Dolabellam persequendum? quando enim ueniet cōsul? an id exspectamus, quo ne uestigium quidem Asia ciuitatū, atq; urbium relinquatur? At mittēt aliquem de suo numero, ualde mihi probari potest, qui paullo ante clarissimo uiro priuato imperiū extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent, num P. Seruilio digniorem? at eum quidem ciuitas non habet. Quod ergo ipse nemini putat dandum, ne a senatu quidem, id ego unius iudicio delatum comprobem? Expedito nobis homine, & parato, P. C. opus est, & eo, qui imperium legitimum habeat, qui praeterea auctoritatem nomen, exercitiū perspectū animum in rep. liberanda. Quis igitur is est? Aut M. Brutus, aut C. Cassius, aut uterq; decernere plane, sicut multa consulem alterū, ambosue, ni Brutū colligassemus in Graecia, & eius auxiliū ad Italiam uergerē, quam ad Asiā maluissimus: non ut ex ea acie respectū haberemus, sed ut ipsa acies subsidium haberet etiam trāsmarinū. Praeterea P. C. M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam magnā urbem, & grauem tenet, opinor, Bylidem tenet. Amātiā: instat Epiro: urget Illyricum: habet aliquot cohortes, habet equitatum. hinc si Brutus erit traductus ad aliud bellum, Graeciā certe amiserimus. Est autē etiam de B. undisio, atq; illa ora Italiae prouidendum: quāquam miror tā diu morari Antonium. solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere. quod

P. B. si cōfecerit Brutus, & intellexerit plus se reip. profuturū, si Dolabellam persequatur, quā si in Graecia maneat: aget ipse



ipse per sese, ut adhuc quoq; fecit: neq; in tot incendiis, qui-  
 bus confestim succurrendum est, expectabit senatum. Nā  
 & Brutus, & Cassius multis iam in rebus ipse sibi senatus  
 fuit: necesse est enim in tanta conuersione, & perturbatione  
 omnium rerum, temporibus potius parere, quam moribus.  
 nec enim nūc primū aut Brutus, aut Cassius, salutem, liber-  
 tatemq; patriæ, legem sanctissimam, & morem optimum  
 iudicauit. Itaq; si ad nos nihil referretur de Dolabella per-  
 sequendo, tamen ego pro decreto putarem, cum essent tales  
 uirtute, auctoritate, nobilitate summi uiri, quorū alterius  
 iam notus nobis est exercitus: alterius auditus. Non igitur  
 Brutus expectauit decreta nostra, cum studia nosset. neq;  
 enim est in prouinciam suam Cretam profectus: in Mace-  
 doniam alienā aduolauit: omnia sua putauit, que uos uestra  
 esse uelletis: legiones cōscripsit nouas, exccepit ueteres: qui  
 tatum ad se abduxit Dolabella, atq; cum nondum tāto pa-  
 ricidio oblitū hostē sua sententia iudicauit. nā, ni ita esset,  
 quo iure equitatum à consule abduceret? quid C. Cassius  
 pari magnitudine animi, & consilij præditus, nonne eo ex  
 Ita consilio profectus est, ut prohiberet Syria Dolabellam?  
 qua lege? quo iure? eo, quod Iupiter ipse sanxit, ut omnia,  
 que reip. salutaria essent, legitima, & iusta haberentur. Est  
 enim lex nihil aliud, nisi recta, & à numine deorum tracta  
 ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Huic igitur  
 legi paruū Cassius, cum est in Syriam profectus, alienam  
 prouinciam, si homines legibus scriptis uterentur: his uero  
 oppressis, suam lege natura. Sed, ut ea uestra quoq; aucto-  
 ritate firmetur, censeo: C V M P. Dolabella, quiq; eius cru-  
 delissimi, & terribissimi facinoris ministri, socij, adiutores  
 fuerunt, hostes populi Rom. à senatu iudicati sint: cumq; se-  
 natus P. Dolabellā bello persequendum censuerit, ut is, qui



omnia deorum, hominumq; iura nouo, inaudito, inexpiable scelere polluerit, nefarioq; patriæ se paricidio obstrinxerit, pœnas diis, hominibusq; meritas, debitasq; persoluat: senatui placere, C. Cassium proconsulem prouinciã Syriam obtinere, uti qui eam optimo iure prouinciã obtinuerit: cumq; à Q. Martio Crispo proconsule, L. Statio Murco proconsule, A. Alieno legato exercitus accipere, eosq; ei tradere: cūq; his copiis, & si quas præterea parauerit, bello P. Dolabellam terra, marique persequi eius belli gerendi causa, quibus ei uideatur, naues, nauitas, pecunias, ceteraq; quæ ad bellū gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Põto, ius, potestatemq; habeat: utq; quacumq; in prouinciã eius belli gerendi causa aduenierit, ibi maius imperium C. Cassij procos. sit, quam eius erit, qui eam prouinciã obtinebit. cum C. Cassius procos. in eam prouinciã uenerit, regem Deiotarum patrem, & regem Deiotarū filium, si, ut multis bellis sæpenumero imperium populi Rom. iuerint, item C. Cassium proconsulem copiis suis opibusq; iuuissent, senatui, populoq; Rom. gratū esse facturos: idem si ceteri reges, tetrarchæ, dynastæque fecissent, s. P. Q. R. eorum officij non inmemorem futurum: utique C. Pansa, A. Hircius cōsules, alter, amboque, si eis uideretur, rep. recuperata, de prouinciis consularibus, prætorijs, ad hunc ordinem primo quoq; tempore referant: interea prouinciã ab iis, quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuiq; ex s. c. successum sit. Hoc s. c. ardentem inflammabitis, & armatum armabitis Cassiū. nec enim animus meus potestis ignorare, nec copias. animus is est, quō uidetis: copias, quas audistis, fortis, & constantis uiri: qui, ne uiuo quidem Trebonio Dolabellæ atrocitiam in Syriam penetrare fuisset. Alienus familiaris, & necessarius meus post interitū Trebonij

P. B.



bonij profectus, ne dici quidem se legatum Dolabellæ uolet.  
 Est Q. Cæcilij Bassi priuati illius quidem, sed fortis, & præ-  
 clari uiri, robustus, & uictor exercitus. Deiotari regis &  
 patris, & filij, & magnus, & nostro more instructus exer-  
 citus: summa in filio spes: summa ingenij indoles, summaq;  
 uirtus. quid de patre dicam? cuius beneuolentia in populum  
 Rom. est ipsius æqualis ætati: qui non solum socius impera-  
 torum nostrorum fuit in bellis, sed etiã dux copiarũ suã-  
 rũ, quæ de illo uiro Sylla, quæ Murena, quæ Seruilius, quæ  
 Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quã graniter sepe  
 in senatu prædicauerunt? Quid de Cn. Pompeio loquar? qui  
 unum Deiotarum in toto orbe terrarũ ex animo amicam,  
 uereq; beneuolũ, unum fidelem populo Ro. iudicauit? Fui-  
 mus imperatores nuper ego, & M. Bibulus in propinquis,  
 finitimisq; prouincijs: ab eodem rege adiuti sumus & equi-  
 tati, & pedestribus copijs. secutum est hoc acerbissimum,  
 & calamitosissimum ciuile bellum: in quo quid faciendum  
 Deiotaro? quid omnino rectius fuerit, dicere nõ est necesse,  
 præsertim, cum contra, ac Deiotarus sensit, uictoria belli  
 iudicaret. quo in bello si fuit error, communis ei fuit cum se-  
 natu: si recta sententia, ne uicta quidẽ causa uituperanda  
 est. Ad has copias accedẽt alij reges, etiã delectus accedẽt. P. 238.  
 neq; uero classes deerunt: tanti Tyrij Cassiũ faciunt: tantum  
 eius in Syria nomen, atq; Phœnicia est. Paratũ habet impe-  
 ratorem C. Cassium, P. C. resp. contra Dolabellam, nec pa-  
 ratum solum, sed peritum, atq; fortẽ. magnas ille res gessit  
 ante Bibuli summi uiri aduentum, cum Parthorũ nobilis-  
 simos duces, magnas copias fudit. Syriãq; immani Par-  
 thorum impetu liberauit: maximã eius, & singularem lau-  
 dem prætermitto. Cuius enim prædicatio nondum omnibus  
 grata est, hanc memoria potius, quam uocis testimonio con-  
 ser



seruemus. Anima duerti, \*P. C. dici iam a quibusdam, exor  
nari etiam nimum a me Brutum, nimitiam Cassum ornari:  
Cassio uero sententia mea dominatū, & principatum dari.  
Quos ego orno? nempe eos, qui ipsi sunt ornamenta reip.  
Quid? D. Brutum nōne omnibus sententiis semper ornaui?  
num igitur reprehenditis? An Antonios potius ornarem,  
non modo suarum familiarū, sed Romani nominis probra,  
atq; dedecora? an Censorinū ornem in bello hostem, in pace  
sefforem? an cetera ex eodem latrocinio naufragia colligam?  
Ego uero istos otij, concordia, legum, iudiciorum, lib-  
ertatis inimicos, tantū abest ut ornem, ut effici non possit,  
quin eos tam oderim, quā remp. diligo. Vide, inquit, ne ue-  
teranos offendas, hoc enim uel maxime ex audio. Ego uero  
ueteranos tueri debeo: sed hos, quibus sanitas est, certe ti-  
mere non debeo: eos uero ueteranos, qui pro rep. arma ce-  
perunt, secutiq; sunt \* C. Casarem, auctoritate beneficiorum  
paternorū, hodieq; remp. defendunt cum magno periculo,  
non tueri solum, sed etiam augere cōmodis debeo: qui au-  
tem quiescunt, ut VI. & VIII. legio, in magna gloria, &  
laude ponendos puto: comites uero Antonij, qui, postquam  
beneficia Caesaris comederunt, consulem designatū obsidē,  
huic urbi ferro, igniq; minitantur: Saxa se, & Casoni tra-  
diderunt, ad facinus, prae adq; natis, nū quis est, qui tuēdos  
putet? Ergo aut boni sunt, quos etiam ornare? aut quieti,  
quos conseruare debemus: aut impij, quorū contra furorē,  
& bellum, & iusta arma cepimus. Quorum igitur uetera-  
norū anignos ne offendamus, ueremur? eorū ne: qui D. Bru-  
tum obsidione cupiunt liberare? quibus cū Bruti salus cara  
sit, qui possunt Cassij nomen odisse? an eorū, qui utriq; ar-  
mis uacant? non uereor, ne acerbis ciuis quisquā istorum,  
sit, qui otio delectantur. Tertio uero generi non militum  
ueter



ueteranorum, sed importunissimorum hostium cupio quam  
 acerbissimum dolorem inurere. quamquam, P. C. quousque  
 dicemus sententias ueteranorum arbitratur? quod eorum tā-  
 tum fastidium est, quae tanta arrogantia, ut ad arbitrium  
 eorum imperatores etiam deligamus? ego autem (dicendum  
 est enim, P. C. quod sentio) non tam ueteranos intuentes  
 nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italia, quid  
 nouae legiones ad liberandam patriam paratissimae, quid  
 cuncta Italia de uestra grauitate sentiat: nihil enim semper  
 floret: aetas succedit aetati: diu legiones Caesaris uiguerunt,  
 nunc uigent Pansa, uigent Hircij, uigent Caesaris filij, ui-  
 gent Planci: uincunt numero, uincunt aetatibus: nimirum  
 etiam auctoritate uincunt. id enim bellum gerunt, quod ab  
 omnibus gentibus comprobatur. Itaque his promissa pra-  
 emia sunt: illis persoluta. fruantur his illi: persoluantur his,  
 quae spondimus. id enim deos immortales spero aequissi- P. 239.  
 mum iudicare. Quae cum ita sint, eam, quam dixi senten-  
 tiam, et obis, P. C. censo comprobendam.



IN M. ANTONIVM  
 PHILIPPICA XII.

ORATIO LIIII.



ET SI minime decere uidetur, P. C. falli, deci-  
 pi, errare etiam, cui uos maximis saepe de re-  
 bus assentiamini: consolor me tamen, quonia  
 uobiscum pariter, & una cum sapientissimo  
 consule erraui. Nam, cum duo consulares spem honesta pa-  
 tris nobis attulisset, quod erat familiares M. Antonij, quod